

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Ad Prolegomena De Theologia Lutheri.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

AD PROLEGOMENA
DE
THEOLOGIA LUTHERI.

Pag. 7. ante verba: *De successu &c.*



O. Frabenius, Bibliopola Basileensis, A.M.D. XIX. d. XIV. Februarii de libellis Lutheri, cum editis & recatis, ubique propagatis, & ad exteros missis, luculenter testatur in literis ad Nostrum datis, quas propterea describere visum fuit.

Dono dedit mihi *Blasius Salmonius*, Bibliopola Lipsiensis, in proximis nundinis Francofordensibus, libellos varios à te elucubratos, quos omnium Doctorum judicio probatos typis meis statim excudi, sexcentos in Galliam misimus & in Hispaniam, venduntur Parisiis, leguntur etiam à Sorbonicis, & probantur, quemadmodum amici nostri nos certiores reddiderunt. Dixerunt illic doctissimi quidam, se jam pridem talem libertatem desiderasse in his, qui sacras literas tractant.

Calvus quoque Bibliopola Papiensis, vir eruditissimus, & Musis sacer, bonam libellorum partem in Italiam deportavit, per omnes civitates sparsurus. Neque enim tam sectatur lucrum, quam cupit renascenti pietati suppetias ferre, & quatenus potest, prodesse. Is promisit ab omnibus eruditis in Italia viris Epigrammata se missurum in tui laudem scripta, usque adeo tibi faveri Christique negotio, quod tanta constantia tam viriliter tamque dextere geris.

Miraberis forsan de nostra tuorum Actorum editione, quod videlicet partim Wittembergensi respondeat, partim non. Sed causam audi, miserat nobis ex Augusta Vindelicorum amicus quidam noster, *responsionem* tuam *Cardinali* datam, etiam jam imprimenda erat, cum *Calvus* ex Norimberga rediens, unicum tantum Wittembergensis editionis quaternionem secum attulit, primum videlicet, quem nos statim imitati, reliquam illam partem ex Augusta nobis missam, utcunque anneximus. Nunc vero Blasii beneficio, Wittembergensis editionis exemplar nacti, quod nostræ deest, quamprimum licebit, addituri sumus. Audio enim à *doctis* probari, quam de decretorum violentia coronidem adjecisti.

Præterea libellos tuos, in Brabantiam, & Angliam misimus. Impressimus *replicæ Sylvestrinæ* trecenta tantum exemplaria, eam negant docti obesse tibi posse. *Hic ut quisque est optimus, ita tui maxime est studiosus.* Episcopus noster inprimis tibi favet, ejus item Suffraganeus Tripolitanus Episcopus, Cardinalis Sedunensis, cum illi tuas lucubrationes obtulissemus, statim dixit: *Luther, tu vere es Luther.* Huic nuper quidam Ecclesiæ propositiones misit, adjiciens se victoriæ nuncium, quam Ecclesiæ sit Lipsiæ contra novam doctrinam obtenturus, statim allaturum. Cui respondit Cardinalis, *disputet Ecclesiæ quantum velit, Lutherus veritatem scribit.* Exemplaria nostra nos usque ad decem vendidimus omnia, haud feliciorem venditionem in aliquo libro sumus unquam experti. *Novum instrumentum ab Erasmo diligentissime recognitum, & insigni accessione locupletatum, intra dies decem, faventibus superis, absolvemus.*

Tom. I. Jen. Lat. fol. 388. b. 389. a.

Ad pag. 8. ante §. IX.

De felici hoc successu multi egregii viri *Luthero* congratulati sunt, interque eos *D. Wenceslaus Rosdialovinus, Præpositus Collegii Imperatoris Caroli apud Pragenses*, qui literis ad eum d.

XVII.

XVII. Julii A. M. D. XIX. datis, testatus est gaudium maximum, quod conceperat ex fide digna narratione eorum, quæ inter Lutherum, Ecciumque, & cæteros quosdam æmulos ea tempestate publice acta fuerant, & quod *super adversariorum tubis & præcipue Eccii Scholastica quadam, atque Aristotelica magis, quam Christi Theologia gloriosam victoriam obtinisset.* Congratulatur itaque ei, atque Deo cœli gratias agit, qui ipsum inter tot pericula, totque hostium malignantium agmina, non solum servare incolumen, sed etiam de inimicis in tam justa pugna gloriose triumphare dignatus sit. Misit quoque ei libellum *Hussi* de Ecclesia, & epistolam his verbis clausit: *hoc unicum sciens addo, quod olim Johannes Hus in Bohemia fuerat, hoc tu, Martine, es in Saxonia. Quid igitur tibi opus? Vigila, & confortare in Domino: deinde cave ab hominibus. Neque animo concidas, si te hæreticum, si excommunicatum audies, memor subinde, quid Christus passus, quid Apostoli, quid omnes etiam hodie patiantur, qui pie volunt vivere in Christo.*

Similiter *D. Johannes Poduscka, Presbyter curatus Ecclesiæ Cathedralis B. Virginis Pragæ, ante latam Curiam,* eodem anno, Sabbato post divisionem Apostolorum, ad Lutherum scripsit, hoc unum se aliosque, lectis multis variisque tractatibus, in eo miratos esse, quod inter tot veritatis Evangelicæ æmulos, doctrinam Christi & Apostolicam libere & publice prædicare nequaquam addubitaverit, oblitus interim tot calumnias, maledicæque plurimorum verba, quibus, quidquid non placet, illico hæreticum esse oportet. Ei idcirco vehementer congratulatur, qui unus in Germania repertus & doceat sincere, quæ docenda sunt, id est, Legem Christi, priscorumque Patrum, puram illam & nequaquam humanis adinventionibus contaminatam Theologiam, ætate ista magna ex parte contemptam, & dehortetur quoque ab hisce, quæ Christi spiritus non probet, neque fortasse agnoscat; cum in se Christus divisus non sit,

nec possit hodie nolle, quod tempore prædicationis suæ voluit & suavit. Mox cum suapte sponte currentem per viscera misericordiæ monet, incitat, impellit, ne negligat gratiam Domini, quæ in eo sit, ad salutem multorum, cum Deus ipsum speculatorem constituerit super populo suo, Dei autem inimicos libertatisque Christi adversarios, ut cœperit, persequatur & comprehendat, jam enim fortasse verba Christi impleri, & maxime quidem Matth. XXIV. *surgent pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa &c.* & 2. Pet. II. 1. *O quam nunc*, scribit, *odiosa veritas, o quam Christus ubique invisus.* Tu, frater, quia Christum prædicas, non homines, non à tuis modo, sed etiam nostratibus quibusdam hereticus diceris. Sed obsecro, hanc cum Christo contumeliam libenter sustine, memor verborum Christi, Matth. X. 25. & Luc. XXIII. 31. Ergo, mi frater, Martine, confortare in Domino, & esto robustus venator Pseudoapostolorum. Christus veritatis Dux & Magister in exemplum vendentes & ementes de Templo ejicit, ut nos sequamur vestigia ejus. Non tibi deerit auxilium desuper. Sunt in Bohemia plurimi fideles Deo & chari, qui te noctes diesque orationibus adjuvant. Tu modo tibi ipsi non desis. Istud volo, cautus sis, ne, cum Christum ab Antichristo vindices, ab ipso non comprehendaris: mille nocendi habet ille mores, insidiaturque, ut sagittet in obscuro rectos corde. Christus te conservet incolumen, mi Martine, pro cuius lege non erubescis homines, magnæque pericula subis. Sed confide, veritas liberabit te.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 387 -- 389.

Ad pag. 9. lin. 2. post vocab. *anhelantium*.

Unde Lutherus ad ipsum Pontificem Leonem X. in Epistola d. VI. April. A. M. D. XX. scripta, confidentissime dixit, *neque Papam, neque unum hominem negare posse, corruptiorem esse Romanam Curiam quamvis Babylone & Sodoma, & prorsus deplorata, desperata atque conclamata impietatis, imo patens quoddam os inferni.* Factam è Romana Ecclesia, quondam omnium sanctissima,

Etissima, speluncam latronum licentiosissimam, lupanar omnium impudentissimum, regnum peccati, mortis, & inferni.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 461. a. b.

Ad pag. II. in fine §. X. post vocab. *viris*.

Hinc *Staupitius*, Vicarius ordin. Augustiniani, ad Nostrum initio causæ dicebat: *hoc mihi placet, quod hac doctrina, quam prædicas, gloriam & omnia soli Deo tribuit, hominibus nihil.*

Ad eand. pag. ante §. XI.

Addi potest (8) *utilitas Reformationis*, de qua *Lutherus* in præfat. ad libellum *Joh. Klingbeili*, Lic. de conjugio Clericorum agit. Summam retulimus Tom. II. Loc. I. de Antichristo p. 260.

Ad pag. 12. adde in fine §. XII.

Multis adhuc in locis *acerbitatem, vehementiam, vel mordacitatem* styli objectam excusat, ut Tom. I. Jen. Lat. fol. 311. b. & 312. a. fol. 460. b. 461. a. in Epistola ad *Leonem X.* Tom. II. 402. a. Non possum tamen omittere hic verba, quibus se purgavit *Friedrico Electori A. M. D. XXI.* in Epistola Nuncupat. *Ipsemet*, inquit, *non facile dixerim*, quam invitatus his turbis jactatus, & a meis studiis avulsus fuerim, ut carni & sanguini meo non potuerim penitus imperare, quin importunas istas impiorum provocitates asperius quam pro religione, modestia tractarem. In qua re, ut non deprecor culpam, ita mihi veniam non negari spero ab ullo, qui saltem perpenderit, quantos leones Moab, quantos Rabaces Assyriorum, quantos denique extremæ virulentiae Semeios unus ego tam diu sustinere compellus fuerim, mei & multorum jactura, quibus in verbo Dei prodesse potuissem.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 319. a. in Epist. dedic. Postill. Conf. Tom. I. Lat. Witt. fol. 311. b. & Seckendorf, H. L. L. I. pag. 70.

AD

<